

בבז

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
OCEANO
EJUSQUE
DIMENSIONE

CONSENSU
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
EXAMINI ERUDITORUM IN ACADEMIA ABOENSI
PUBLICO EXPOSITA;

PRÆSIDE
RECTORE h. r. MAGNIFICO
LAURENTIO TAMMELIN,
MATHEM. PROFESSORE ORD. ET REGIO.

IN ΠΑΡΑΣΚΕΤΗΝ
HONORUM ACADEMICORUM,

^A
JOHANNE JOH. THORWESZE/
NYLANDO.

AD DIEM II. MAJI ANNO CHRISTI MDCCIII.

Exc. Jo. Wal.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Maximæ Fidei Viro

REVERENDISSIMO in CHRISTO

PATRI ac DOMINO,

DN. JOHANNI
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI

Consummatisimo,

Inclytæ ejusdem Dioecesios EPISCOPO
non minus Eminentι

Qvam Acad. Aboënsis PRO-CANCELLARIO
Magnificentissimo,

Nec non Confistorii Eccles. PRÆSIDI
Gravissimo,

PROMOTORI GRATIOSISSIMO.

In
SACRAM REGIAM MAJESTATEM
Fidissimo Viro,

GENEROSSISSIMO, CONSULTISSIMOQVE
DOMINO,

DN. HENRICO HEERDHIELM,

REGII DICASTERII

Holmensis

VICE - PRÆSIDI

Amplissimo;

MÆCENATI bis Necesario

& Propensissimo.

VOBIS. inquam.
MÆCENATIBUS. &. PATRONIS.
SUMMIS.

Hoc. leviusculum. ingenii. opus.

Ita. do. &. dedico.

Ut. illud.

NOMINIBUS. VESTRIS.

Ob. imensam. eruditio[n]em. &. prudentiam, ubiq[ue]. claris.

Præmunitum. velim. meamque. salutem. &. fortunam,

Summopere. fortam. &. custoditam.

In votis. ad. minimum. ego. unus. id. unicum. habens.

Ut. in. VOBIS.

De. Eccl. DEI. &. Republica. optime. MERITIS.

Magna[re]que. autoritate. pollutibus.

Omnigenā. felicitatē. quæ. tantos comitari, solet. VIROS.

Mihi. venerari. liceat.

Quam. diuturnam. VOBIS. à. D: T:O:M:devote. voveo.

Qui.

Ob. beneficia. VESTRA. longe. maxima.

Animo. grato. &. submissō. sū. atq[ue]. cōstanter. permanebo.

NOM:um VESTR:um

Cultor. devotissimus

JOHANNES JOH. Thorwōste.



S. I.

Nimis alienum præsenti instituto nostro foret, multa præfari de totius mundi adspectabilis constructione, ideoque occupabimur tantummodo in consideratione mundi terrestris, quam mirabilis illa aquæ cum terra cohærentia & unitio a nobis requirere videtur. Hujus opificium satis amplum esse testantur omnes Philosophi, qui, sollicito licet mentis scrutinio in abdita ejus inquirendo, plurima invenerint; multa tamen nescire, nihilque DEI infinita potentia & bonitatem certius ex iis le cognoscere, libere profertur. Non itaque mirum cuiquam videbitur, si infirmitas nostri intellectus, non valeat juxta veras geocosmi causas & affectiones, interiores quoque ejus regiones omnes exacte describere, ad quas nullus adhuc vivus accessit; verum neque ad nos hoc facere jam spectat, sed tantam divinorum operum magnitudinem admirari hac vice sufficiat. Tersquam nonnulli appellant *orbem* terrarum, propter rotunditatem sive figuram globosam vel sphæricam, quam omnes fere Philosophi & Mathematici accuratores illi attribuerunt. Qvum enim cir-


culus sit capacissimus omnium figurarum mathematicarum, & utilitate aliis haut inferior, ipsi etiam teraque optime convenit, secus namque apparentiae terrestres & cœlestes commode explicari non possunt. Sententiam contrariam multi defendunt variis modis, prælertim illi, qui sensibus externis nimium confidentes, rem non examinant accurate, nullam vero nominata aptiorem figuram afferre possunt, quæ controversiam dirimere queat. Sed hujus rei ratio fiet evidentior, si simul attendamus ad aquæ & terræ naturam earumque proprietates, quæ ratione cohærent, unamque tellurem constituant. Etenim nec in eo omnes convenient, verum nonnulli Oceani magnitudinem considerantes, quomodo molem universam circumdedit DEUS statim ab ipsa creatione, tantam aquarum copiam esse dicunt, ut siccum telluris partem iis innatare statuant. Hoc modo si facta esset geocosmi structura, non videmus qua ratione globus terrestris constans dici queat; quin terra, quæ altera dicitur telluris pars, a ventorum violentia fluctuumque tumultuum impetu, non solum huc & illuc impelleretur, sed & tota aquis submergi posset. Et ut alias taceam absurditates, etiam immenta illa ubique profunditas, nullos patetetur maris alveos, de quorum tamen existentia Geographorum testimonia ubivis obvia, & quotidiana experientia nos dubitare non sinunt. Fateor aliquem posse persuaderi, partem telluris liquidam quantitate superare aridam, quum non solum Oceanus totam tellurem ambiat, sed & in abscondito terræ finu inumeros hiatus & vasta receptacula inveniri certum sit; perplurimas etiam cavitates aquis esse impletas novimus. Interim terra tanquam repositorum aquæ habetur, in cuius spatio-

tiosissimæ magnitudinis circuitu, cumulus ille confluxusque aquarum stagnat Oceanus. Et præterquam quod magna terræ pars sub aqua lateat, etiam tot deserta, campi, sylvæ, montes immensæ vastitatis & amplitudinis, scopuli atque insulæ hinc inde elevatae inveniuntur, qvæ omnia DEUS veluti repagula aquis opposuit, ne universam telluris faciem obtegerent. Tametsi vero nulla corporea basi nullisque columnis fulciatur hic terraqueus mundi globus, tamen jacta sua babet fundamenta, qvibus ab omni violentia DEUS ipse immunem eum fecit, eumque divinæ luæ virtutis nutu confirmatum voluit, adeo, ut stabilis & a sede sua omnino maneat immobilis, qvoad infinita DEI potentia inde vicissim detrudatur & in nihilum redigatur: id quod ipse vel unico verbo efficere potest. Posset etiam hic adduci ratiocinatio quædam de materia, ex qua conflata est tellus nostra, sed mittimus has curas ad Physicos hac super re maxime dissentientes, a quibus accurasier explicatio haberi potest, & licebit quidem per nos, ut ex iis, quod placet & veritati est similem, quisque eligat. Interim constat terram ab aqua non alia re magis differre quam siccitate, atque hanc a terra iterum liquore. Et quemadmodum hoc modo eas ab invicem distingui novimus, ita in omnibus fere aliis maxime convenire animadvertisimus. Nulla enim aqua tam pura & simplex est, quæ non admixtas habet particulas, quales in terrestribus corporibus inveniuntur, præsertim minerales, qvæ sensu notabiles continent qualitates, ab aquæ natura diversas. Adjungunt Philosophi etiam teraque atmosphærā, qua teraqueum globum ceu fluidissimo cœlo cinctum esse volunt, in qua illum quiescere & circum circa comprimi rationibus

quod putamus haut obscuris demonstrant. Cæterum Coagmentatam hanc ex solo & lymphâ sphæram pluri Philosoporum & Astronomorum centrum hujus univerſi constituere existinant, ita, ut in medio sit omnium stellarum & planetarum, ibique quiescat omni motu deſtituta. Alii iterum globo huic locum adſignant inter reliquos planetas, ubi annuo cursu, cum cæteris circa ſolem in medio conſistentem circumferatur, & una cum motu quotidiano trepidationis circa proprium axem, integrum gyrum abſolvat. Rationes afferunt tantum non infimi commatis, neq; alia tam ardua & diſſicilis diſputatio unquam habita eſt vel haberri potest, & in qua animus rationi ſaltim aufcultans, huic illucq; impellatur magis, magisve diſdubius reddatur, quam de poſitu teraquei globi: argu- menta enim inde deducta pro & contra mente volvens φιλαληθη merito hæſiteret, quid pro certo ſtatuat. Posterioris ſententiæ Autor Pythagoras tuiſſe fertur, quem numero fecuti ſunt recentiores, utpote Copernici & hujus ſeculi Mathematici, qui prioris defenſoribus Ptolomaicis item non faciunt, ſed compositionem veritati & S. Sa- cræ congruam anxie expetunt & in quantum humano ingenio poſſibilis eſt, qværunt. Quamvis autē ſuperius ali- qua dixerimus de rotunditate teraque, eam tamen nunc tanto clarius demonſtrabimus, quanto certius nobis ſi- mul innotescet viſ atmosphærae, qva ſuas operationes in inferiora exerceet. Nihil lane magis admirationem mo- vet iis, qui nulla horum cognitione ſunt imbuti, quam sphærica illa aquæ cum terra cohærentia. Ex quotidiano quippe uſu didicimus aquæ ſuperficiem in vase aliquo vi- deri planam, quo ſubverſo, etiam aqua effunditur. Quam- obrem vulgi captum excedit, dum aquam in cavitati- bus


bis suis circa globum terrestrem contineri, firmis rationibus ostenditur. Deinde non capere se etiam affirmant mortales levioris ingenii, quomodo homines in opposita nobis telluris parte consistant, non vero deorsum versus cælum cadant. Nemo autem in geographia vel Physica mediocriter versatus, ignorat naturam atmosphæræ, cuius vis in fluxu & refluxu maris est manifesta, ita, ut hæc satis sufficiat ad aquam terræ adprimendam; quod vel ex una gutta conspici potest admodum rotunda, ob pressionem aeris ab omnibus partibus æqualein. Ad confirmando illa quæ jam dicta sunt, figuræ adhibebimus nonnullas easque potiores, quarum certitudo ex matheœos evidentia, aquæ natura, cœlestium & terrestrium apparentium conformitate, optime demonstrari potest. Ductis itaque in apposito schemate tribus lineis ex centro A ad peripheriam circuli æquali inter se distantia, ut AB. AC. AD. Deinde ducatur linea BD. ab extremitate AB. per AC. ad extremitatem AD. erit per 18.

L. i. Elem: Euclid: latus AE. minus lateribus AB. & AD. ubi demonstratur omnis trianguli maximo lateri maximum opponi angulum. Ergo locus concavus existit in E. quo aqua afluet ex B & D, qvum in his esse necessum sit, usq; dum compleatur totum spatium BCDE.



Hoc modo demonstrat Aristoteles, etsi non per omnia
 dilucidè superficiem aquæ esse sphæricam, verum sub hac
 hypothesi, ut dato centro universi, constituatur aliquis
 locus concavus in E. ad quem sua natura aqua confluat;
 centro quippe quo propinquior, secundum illius senten-
 tiam, eo quoque erit declivior. Imo infallibiliter etiam tunc
 animadvertisimus aquæ superficiem esse rotundam, quando
 navigantibus, ab alta quadam turri, inferiores ejus par-
 tes sensim occultantur, et longinquæ vero ad eam acceden-
 tibus, primò apex se conspicendum ostendit, deinde ad i-
 sum usque magis & magis detegitur. Et quantum
 mare aere sereno planum appareat, montesque in eo sint ex-
 celsi, nec non scopuli hinc inde eminentes, sphæricam
 aquæ superficiem tamen impedire non possunt, quum
 nullam habeant proportionem ad totius telluris magni-
 tudinem. Nec quisquam rationes nautarum facile e-
 vertet, quibus hanc sententiam defendunt; quippe qui na-
 vigatione sua circa universum orbem accurate observa-
 runt, apparentias omnes quam maxime requirere pro-
 prietas globi; neque ullus ab iis in navigando sperari
 potest successus, nisi figuram globosam telluris cogni-
 tam habuerint. Neminem itaque fallat infantiae præju-
 dicium, quo multi a veritatis cognitione avertuntur, dum
 rei alicujus naturam examinant magis secundum suos sen-
 sus, quam ut integrum in judicando adhibeant rationis u-
 sum. Si autem quis pertinax inveniatur, in veritatis con-
 templatione ad sensus restringenda, huic plana aquæ su-
 perficies ad minimum suspicionem incertitudinis movebit;
 postquam demonstratum fuerit, partem circuli alicujus
 fieri magis curvam, prout minori apertura eadem descri-
 bitur, majori vero apertura ducta, magis accedere ad su-
 per-

perficiem planam. Sit
Exemp: gr: pilæ loco
circulus minor, cujus
superficiem tantummo-
do dimidiari videre li-
cet si parva est, & qvan-
quam adhuc minor i-
mo minima, ulterius
tamen nostra visio se
non extendit, quam ab
F ad I. Si vero eam
supponamus esse tan-
tae magnitudinis, ut e-
jus superficies nobis
apparet tantummo-




do ab F. ad G. adhuc sensibus patebit ejus rotunditas. Sed hæc apertura FG translata in circulum majorem, qvi est loco telluris, qvæ nobis ostenditur in CD. appa-
rebit duplo planior, adeo, ut nemo tam excors & omni-
ratione destitutus sit, qvi hoc modo non admittet cir-
culi partem esse & videri eo planiorem, qvo majori a-
perrura fuerit descripta. Dum itaque in hoc tam exi-
guo spatio tanta se nobis sistit differentia, qvis mirabi-
tur, si in vasto teraqvæ ambitu distantia 6 vel 8 millia-
rium sensus nostros fallat, qvum viuis vix per tantum
spatium se extendens, hujus spatii limites exacte deter-
minare non valeat, planitiem a rotunditate discernendo;
qvum tamen sit sphærica, sed in maxima peripheria:
qvod evidentissime insipienti patet ex majoris circu-
li parte B E. in respectu ad partem minoris FG. Hæc
nisi vera esset thesis, affirmaverim ego turrim excelse po-
sitam

sitam vel in altitudinem exstructam per immensum spa-
 cium a nobis conspicere posse, vel ad minimum totam a
 summo ad imum simul, appropinquantibus apparere.
 Qvod tamen non fieri certum est. Adhuc lubet certitu-
 dinem hujus rei probare ex theoremate qvodam geo-
 metrico, quo & terræ superficiem esse rotundam, infal-
 libiliter demonstratur. Si enim terraqua planis utcunqve
 multis secetur per unum aliquod punctum transversibus,
 & omnes sectiones fiant in superficie peripheriae circuli,
 in aprico tota erit res, e. g. per circulos longitudinum
 & latitudinum. Qvamvis Geographi, qvod obiter no-
 tandum, in denominatione circulorum longitudinum sive
 meridianorum non convenienter, alii sensus judicium se-
 quentes discerni sensibiliter dicunt puncta verticalia per
 spatiū 300 stadiorum sive $37\frac{1}{2}$ milliarium Italicorum,
 ab ortu in occasum comprehenduntqve minuta 36, alii per
 polos mundi & singulos gradus æquatoris meridianos
 circulos describunt, quo sit ut in universum sint meridi-
 ani 180, qvoniam qvilibet transit per duos gradus opposi-
 tos, alii meridianos constituunt 12, totum terræ ambi-
 tum in 24 partes æquales dividentes, ita ut unaqvaqve
 pars millaria contineat 15 nonnulli non solum tot con-
 stituant meridianos qvot gradus in æquatore, verum et
 iam qvot minuta. Sed hanc controversiam hac vice di-
 rimere nostri non est instituti; verum concipiamus indi-
 scriminatim in præsenti figura lineam qvandam meri-
 dionalem transuentem per polos M N. & verticem seu
 Zenith nostri loci in B. sive sectionem telluris factam
 piano ABCD. qvæ dicitur latitudo sive extensio globi
 terrestris in superficie ab uno polorum ad alterum. Li-
 nea vero, qvæ huic perpendicularis ducitur est longitudo
 loci,

loci, sive aliud planum æqvatori cœlesti parallelum, faciens in tellure lineam EBCF. hinc evidenter constat lineas ABCD. & EBCF. in teraqva esse circulares, secundum theorema geometri-
cum qvod ita audit: Si superficies aliqua juxta unam dimensionem secetur per qvod vis punctum, fiatqve sectio peripheria circuli, deinde juxta alteram dimensionem per idem punctum secetur piano, qvod priori plano sit perpendicularē,
fiatqve sectio iterum peripheria circuli, ista superficies est sphærica. Ergo, qvoniām sectio linearū ABCD. & EBCF. est circularis, recte concludimus superficiem terræ esse globosam.

Hæc omnibus ad oculum patent, qui voluerint hos circulos conferre cum globo nostro artificiali, in qvo commode demonstratur, sectionem teraqvæ juxta dimensionem latitudinis ab uno polo ad alterum ABCD. esse circularem. Et si qvis progrediatur a loco aliquo assumto in B. versus polum N. vel stellam ei vicinam, animadvertet æqualibus factis itineribus polo se æqualiter appropinquare, quod fieri non posset, nisi linea BADC. esset circularis; idque nemo negabit, nisi se aut somniare, aut phantasia regi dixerit. Teraquæ circularem sectionem quoad longitudinem etiam obviam esse



esse unicuique, qui usum meridianorum aliquatenus cognitum habet, certum est; quibus curiose ostenditur locorum ab invicem distantia. Nam ut stellarum longitudines ab ariete versus signa orientalia, declinatio-nes autem ab æquatore versus alterutrum polorum computantur, ita locorum longitudines a meridiano per insulas Canarias sive Fortunatas, vel si placet, aliunde incidente versus orientales partes, latitudines vero ab æquatore versus utrumvis polum numerantur. Unde iis hominibus solem maturius oriri novimus, qui propinquiores sunt orienti, tardius autem occidere, versus occidentem habitantibus. Hæc pro instituti nostri ratione sufficient, in consideratione teraqvæ universalis.

§. II.

Postquam hoc modo conglobationem geocosmi descripsimus, nunc Oceani situm, divisionem & denominations obiter contemplabitur. Quæ omnia brevitati studentes si non exæte perlequi videamur, potiora tamen non omittemus. Vastum illud æquor totam tellurem ambiens, quamvis unum sit, eique omnes aquæ, sive per angustos terræ tractus, sive occultos cuniculos, vel quocunque modo abdito decurrentes, cohæreant; a Geographis tamen varie dispisci solet, juxta diversa terræ littora, quæ allambit, indeque ejus quasi partes sua quæque nomina sortitæ sunt. In Europæ tabula, imminentium illud spatium inter Europam, Africam & Americam respectu orbis veteris dicitur Oceanus occidentalis, qui Africæ & Europæ littora alluens, circa partem Americæ orientalem totam fere fluctuat; in particulari Africæ & Americæ tabula Oceanus Atlanticus nomina-

natur, ab insula Atlantide, qvæ olim ei innataſſe fertur; vel a monte Atlante, quem Poëtæ cœli columnam esse finixerunt, cujus mentionem Horatius facit L. I. od 34. In mappa geographicā universali vocatur MAR DEL NORT, qvāſi mare ſeptentrionale, ſed minus accurate; qvum non ſolum coeat cum Oceano hyperboreo ſive ſeptentrionali, ſed & cum australi versus austrum ultra æqvatorem ſe extendens. Oceanus vero Aethiopicus conſpicitur ab occidente Africæ tabulæ infra æqvatorem. Hujus ſunt subdivisiones permultæ, qvas hic recenſere nimis longum foret, ſunt vero apud Geographos paſſim obviæ. Ab occidente nos vertentes ad orientem, animadverti-
mus in Asiæ tabula Oceani æqvor orientale, compre-
hendum inter insulas Indiæ, & extenſum ad partem A-
mericæ occidentalem, qvod in Americæ tabula dicitur
MARE DEL ZUR ſive PACIFICUM, & videtur omnium Oce-
anorum eſſe maximus; qvippe qui initium faciens ab
orientali Africæ latere, & meridionalem Asiæ partem
præterfluens per insulas philippinas & Chinam, omnes
Americæ occidiuas partes & boreales ſere alluvione di-
ſterminat. Hujus partes ſunt Oceanus Chinensis, Peru-
vianus, Archipelagus S. Lazari, qvorum primus conſpic-
citur in tabula Asiæ ab oriente, ſecundus & tertius in
America versus occidentem. Hinc non mirum eſt si ve-
teres terram aqvis innatare putaverint, qvum Americam
neſcientes, veterem tantummodo orbem tripartitum pro
terra extante habuerint: detecto vero novo orbe, anſam
dederunt eis Columbus & Vesputius Americus ea de re
dubitandi, qvia America a nonnullis multo major habetur
aliqua parte orbis veteris, tantoqve traectu ſe exporrigit
a ſeptentrione ad austrum, ut Europam & Africam ma-

gnitudine longe superet. Hinc multi Geographorum ambitum Oceani negare allaborantes, arbitrati sunt Americam & terram australem conjungi ; sed Ferdinandus Magellanes una cum sociis suis fretum ex eo Magellanicum hodie dictum, inter illas terras inveniens, hujus rei falsitatem latis arguit. Hæc nobis erunt manifesta magis, si duo reliqua Oceani distributa examinemus, quorum prius dicitur septentrionale, quod Groenlandiam separat ab Europa & America sub polo arctico, Islandæ in medio consistentis latera undique verberans ; includitur toto fere circulo arctico, & dicitur alias Oceanus hyperboreus, in universali Orbis præcipue vero Europæ tabula maxime conspicuus. Huc pertinent Oceanus Deucaledonius, qvi interjacet Yslandiam, Scotiam & Norvegiam, & pro-greditur versus austrum ad mare germanicum vulgo *Nort Zee*; qvod iterum terminatur orientali Angliae & occidentali Daniae atque Norvegiæ lateribus ; versus septentrionem vero coit cum mari mortuo sive saturnino, ibique Yslandiæ littora orientalia & septentrionalia quantiunt, qvibus Geographi adjungunt mare sarmaticum & tartaricum. Oceanus ille septentrionalis videtur esse omnium minimus, qvippe qvi intercipitur inter oram Americæ & orbis veteris polumq; septentrionalem tantum. Mare vero australe, ab extrema Americæ meridionalis parte, & ultimis orbis veteris terminis excurrit usq; ad polum meridionalem, & de magnitudine cum aliis certat adeo, seq; dilatat, ut tropicum capricorni ab omnibus partibus æqualiter fere excurrat. Qvod vastissimum est spatiuum, nec ab ullo homine navigationibus hucusq; bene exquisitum ; Circa polum antarcticum & intra ejus ambitum esse terram australem incognitam nonnulli putant;

ad quam lustrandam et si quidam illuc navigaverint, non tamen continentem aliquam terram, sed tractus quosdam minutissimos invenerant, utpote Anthonii van Diemen Land & alia nonnulla. In hoc tam immenso mari inveniuntur mare Magellanicum, Brasileum, Indicum, Arabicum & Archipelagus S. Laurentii. Ex hac descriptione ambitum Oceani circa universum terrarum orbem facile videre possumus, ita ut lati superque pateat, nullos esse Oceanos, sinus, maria vel freta, qui ipsi non in aliqua mundi parte cohærent. Clarius & brevius continuatio Oceani per quatuor mundi partes concipi potest, si sumatur initium inter fretum Davis & Novam Zemblam, quæ ultimus est terminus terræ cognitæ; reliqua inter polum arcticum incognita adhuc sunt. Et dicitur Oceanus hyperboreus sive glacialis; quamdiu decurrit inter Europæ & Americæ littora, dicitur MAR DEL NORT sive Britannicum usque ad Aethiopicum, inde ad partem orientalem orbis veteris prætervehens c. de bon Esperance, pergit latiori spatio per austrum ad insulas Indicas; ab altera parte fretum ingrediens magellanicum extendit se per mare pacificum ad boreas Americæ insulas usque ad Groenlandiam, unde initium duxit. Ab orientali Asia parte, insularum philippinarum, Chinæ, Indiæ atque Persiæ littora pulsans, mari iterum restituitur hyperboreo, a quo discesserat.

S. III.


Hoc modo ostensa circum terram Oceani continuazione; postulat nunc instituti nostri ratio, ut paucis quoque dicamus, quæ circa nomen ejus notanda veniunt. Dicitur Oceanus sive ὥκεανος propter agilitatem, celer enim

enim apud Græcos nomine ὥνυς designatur, unde ὥνυτης
velocitas. Additur a nonnullis verbum νέας fluere, ut sit
quasi cito fluens. Alii deducunt a κύανο, quod putarint
illum esse nigrum, & cæruleo colore in sua profunditate
fluentem, ut nulla in eo transparentia appareret: atque
hoc nomine primario & proprie magnum illud mare, quo
tota cingitur terra, insigniri voluerunt eruditii. Non ergo
hic intelligimus Oceanum aliquem Cæli & Vestæ filium,
quem maris Deum Poëtæ dixerunt; neque rerum principem,
quo nomine Ægyptii Nilum suum gloriæ sempiternæ
commendare serio studuerunt. Verum totam aquarum
molem, sive Ocenum integrum, circa omnes mundi oras
continuaturn, interdum tamen partes majores & extan-
tiiores a Geographis appellationem hanc fortuntur: nec
infreqenter mare vocari solet *Oceanus*, quod superius ex
divisione ejusdem animadverti potest. Aliquando ita vo-
catur sinus sive fretum, sed nimis improprie, non ta-
men adeo ἀφερήσως, propter conjunctionem aquarum.
Et quamvis latine partem aliquam mare nominent Geo-
graphi, quod Græcis est πέλαγος, dictum juxta quosdam
ἀ τῆλε τῆς γῆς, quod sit procul ἀ terra, quasi τέλαγος vel
τὸ μὴ πέλαγος γῆς, indē πλαγίζω inundo restagno, tamen in-
tegro Oceano etiam proprie convenire novimus; Porro
a falsedine Græcis nuncupatur θάλασσα quasi ἄλασσα, ab
ἄλς, quod præter mare & significat sal, qvoniam omnis
Oceani aqua salsa est. De cætero Oceanum qvem svtice
vocabus det stora wårdenes Haf / fennice Meri / habere
diversas appellations in singulis Europæ linguis certum
est, verum illas adducere nolumus, partim ob nimiam
rei non magni momenti prolixitatem, partim etiam no-
ti-

titiam harum lingvarum proletariam, qvam haut inviti agnoscimus. In hebræo Sacri Codicis textu variis nominibus Oceanum describi certum est, qvæ ut ut universalia sunt, ejus tamen naturam & proprietates non obscure sistere videntur. Hujusmodi occurunt statim ab initio Geneseos Cap. I. v. 10. ubi congregations aquarum dicuntur וְאַיִל a singulari יָם mare, qvod deducetur esse videtur a יְמֵי transpositis literis, ad notandum transpositionem aquarum a DEO factam, unde tot extiterint maria. Sicuti hoc in duali numero positum nonnulli putant ob divisionem ac discrimen, qvod DEUS inter aquas supræcelestes & infra firmamentum positas esse voluit. Atque ex hoc versu stabilitor globi terrestris divisio, qva eum aqua & terra constare supra diximus; qvum Moses referat DEUM nominasse אֶרֶד יְמֵשׁה aridum vel siccum partem terram, יְמֵי וְלֹטְקָה הַמְּמָתָה congregationem vero aquarum maria, qvæ liquida telluris parte insinuantur. Et hæc vulgaris & generalis Geographorum est divisio, sumiturque tunc aqua in lata significacione, pro omni liquido seu fluido universim, quo referuntur maria, fluvii, fontes, lacus, paludes, freta, sinus, stagna, aquæ minerales &c. Sicca autem telluris pars varia & diversæ naturæ corpora complectitur, ut pote: terram extantem, continentem, insulas, peninsulas, isthmos, montes, promontoria, sylvas, deserta, Arenam, fabulum, terras minerales, lapides, metalla &c. Et illa omnia qvæ in tellure continentur, cujuscunque sint generis, qvæ una cum parte liquida, unum constituant globum sphæricam retinere figuram adhuc paucis probabo, demonstrationibus; qvamvis ex iis, qvæ superius dedi-

mus

mus hujus rei veritas ad sufficientiam sit manifesta. Verum quum illa de terra & aqua junctim valeant, placet nunc demonstrationem ex priori adferre, per quam de omnibus liquidis probari potest superficies sphærica. Hæc omnia optime fieri animadvertemus sub triplici Archimedis hypothesi; quâ 1. terram ideo sphæricam esse statuit, quia centrum habet in medio. 2. ab experientia quotidiana eruditus, ostendit partes liquidorum omnium æqualiter & continuo a centro distare ac inter se jacere & minus pressas a magis pressis expelli. 3. Dicit unum quodque liquidum interius premi a superiori perpendiculariter ad centrum, si modo liquidum illud sit descendens, aut ab alio aliquo corpore prematur. Quæ confirmat sequenti propositione, ab ipso inventa & demonstrata: Si superficies aliqua secatur planis quocunque per unum punctum transeuntibus, & omnis sectio sit peripheria circuli, centrum habens punctum illud, ista superficies est sphærica,



ca, cuius centrum erit punctum illud dictum. Ex. gr. Si corpus aliquod EGCF. secetur plano quocunque EPJFK. habente idem cum corpore dato centrum in D. ex quo ductæ lineæ ad quævis

vis puncta propositæ superficiei, æqvales sunt non solum inter se omnes, sed & lineaæ D E. & per hanc ac centrum D ductum planum facit peripheriam circuli; illud corpus habet superficiem sphæricam, qvia secundum Euclidem; sphæra est transitus circumferentiae dimidii circuli, qvæ fixa diametro eousq; circumducitur qvousq; ad locum suum redeat. Vel clarius secundum Theodosium: Sphæra est solidum qvoddam una superficie contentum, in cuius medio punctum est, a quo omnes lineaæ ductæ ad superficiei circumferentiam, inter se sunt æqvales. De liquido hunc in modum demonstratur: Sit liqvor consistens B C A G. centrum terræ D. & concipiamus liqvorem secari piano transeunte per D. linea B C A G erit arcus peripheriæ circuli; si minus, inæqvales erunt rectæ ductæ ad circumferentiam, ut DB. DC. DA. Deinde ducatur recta DC. ita ut fecet angulum BDA. in duas æqvales partes, deinde centro D. intervallo DC. describatur peripheria vel arcus circuli FCG. pariter centro D. describatur peripheria arcus L I H P. intra liqvorem in piano B C A G. partes humoris contenti in D L I H. æquali distantia a centro D. jacent & continuæ sunt. Sed partes circa H I. magis premuntur quam circa IL. qvia major copia existit aquæ super illas quam LI. itaq; partes juxta LI. quum minus premantur, expelluntur a partibus HI. & haec illarum occupabunt locum neque consistere potest liqvor, qvod est absurdum, qvia liqvor semper æqualiter consistit & æqualiter ac constanter permittur a liqvore incumbente, qvare lineaæ ductæ ex centro D ad peripheriam B C A G. non erunt inæqvales sed æqvales. Qvia igitur ex hac demonstratione videmus aquas seu liqvores affectare globosam figuram, habentes

loco centri punctum D. ideo liquidorum superficiem, sphæricam esse statuimus, & Oceani superficiem pariter sphæricam, habens idem centrum cum terrâ.

§. IV.

Hisce ita constitutis vestigabimus jam Oceani altitudinem, quod peragere eo facilius ut speramus erit, quo diutius circa considerationem proprietatum ejus præcipuarum occupari fuimus. Neminem vero ægre habebit fuisse nos paullo prolixiores, in demonstranda non solum Oceani sed & totius telluris rotunditate, qvum hinc terram & aquam uno ambitu globoqve conclusas esse nunc certo constet, & multi Geographorum ac Physicorum extiterint, qvi altitudinem maris vel Oceani supra terram longe adsurgere putaverint. Qvod ipsis concedi posset, si imprimis terram aquis innatare, vel ad minimum iis magnitudine inferiorem esse sufficienter probaverint, aliamqve figuram sphærica aptiorem telluri induere potuerint. Nam si validis hæc impetrare noverint rationibus, id qvod tamen impossibile videtur, nemo ipsis contradicet; qvis enim tum non persuadeatur, aquam uptore corpus terra levius in altitudinem majorem elevari, qvum etiam omnes figuræ ita possint variari, ut una illarum pars sit depressior altera, sphærica vero figura ab omnibus partibus se habeat æqualiter ad centrum. Et qvamvis nubes aquis naturaliter impletas esse sciamus, exinde tamen colligi non potest maria esse altius posita quam terræ partes; quam & ex sententia receptioni aquæ dentur supracœlestes, quibus vel ipsas stellas inferiores esse certum est. Neque nos latet, qua ratione aqua sibi locum in media aeris regione vendicat, quia Physici ostendunt evidenter, quomodo vapores &

ex-

exhalationes adscensum in aerem affectant, & in aquæ guttas ibidem convertuntur, qvæ condensatæ nubes generant, & ob aeris resistentiam plurimasque alias causas non descendunt, & particulas tantum aqueas dimitunt: quibus solutis si ventus frigidus supervenit, eos constringendo in grandinem convertit, si vero aer per quem transeunt sit calidus, in pluviam convertuntur: sed de his videantur Physici accuratiore. Qui media se putant insistere via, existimant mare altius dici posse respectu partium, quæ conspicuntur versus maris medium, depresso vero in respectu ad extremitates littorum. Hæc & gemina alia ut stabilire queant, omnipotentiam Divinam obicem ponunt, quo minus aqua ceu terra, altior, hanc impetu suo obruat & opertum eat. Sed quis non videt hos præter necessitatem configere ad miracula, qvum experientiæ & rationi maxime sit consentaneum, DEUM ab ipsa statim creatione omnia convenienter suis quæque naturis condidisse & disponuisse. De situ enim maris, non solum judicandum est, ex termino quorundam littorum aut partium maris, sed potius ex universa telluris mole; ne pertinaciter impugnemus firmissimas Mathematicorum demonstrationes. Numnam vero maris altitudo æstimanda sit ex montium altitudine, infra sequenti examinabimus, in qua controversia affirmativam sententiam multi amplecti non dubitant, eamq; ex scriptura Sacra confirmare student. Non negamus quasdam terræ partes esse depresso respectu alicujus maris, sed ita ut remotiores sint a vicinioribus, hæ vero altæ satis sint, ad retardandum ejus influxum. ita in historiis relatum habemus de nonnullis, qui aggressi sunt perfodere isthmum conjungentem Asiam & Africam, qui, ut non nonnullis


placet, spatio 40 milliarum germanicorum se Jungit mare
 mediterraneum a mari rubro. Verum a proposito desistere
 coacti plurimas ob causas; præcipue vero, quoniam terra
 Ægyptiaca respectu maris rubri multo depresso erat,
 ut, quamvis duxissent alveum in Nilum, qui se in
 mare mediterraneum exonerat, tamen liberata non fuisset
 Ægyptus ab illius inundatione: quippe qui suo influxu
 mare mediterraneum implevisset adeo, ut cumulo &
 multitudine aquarum profluentium omnes circumiacen-
 tes ad littora regiones violenter oppressæ fuissent. Neq;
 forte fallo dicimus freta sive sinus non semper esse e-
 jusdem altitudinis cum Oceano, qvum liber ejus influ-
 xus impediatur vel ab angusto loco, per quem ingre-
 ditur Oceanus, vel a variis procurrentibus terris sive in-
 sulis. Hinc videtur mare rubrum posse dici altius me-
 diterraneo; in hujus enim sinu influxus Oceani Indi-
 scopulis non repellitur, tantoque tractu se non extendit,
 qvemadmodum Oceanus Atlanticus per angustum tre-
 tum Gaditanum immisus, qvi duplo longius non solum
 determinat extremas maris mediterranei partes, sed &
 per Pontum Euxinum progreditur in paludem Meoti-
 dem. Nihil autem prohibent hæc, quo minus Oceanus
 & ejus partes cum terra æqualem altitudinem habeant,
 qvum nullis in locis differentia notabilis adhuc observata
 fuerit: qvod & optime in globo materiali ostendi potest.
Cur terras itidem & aquas septentrionales altiores esse
 iis, qvæ circa æquatorem sunt, qvidam opinentur, alias
 non videre possumus rationes, qvam ut facie ad septen-
 trionem conversa, eos polum respexit intelligamus ele-
 vatum supra Horizontem nostrumque locum, & conse-
 quenter existimasse terræ polum ac vicinos terræ tractus
 esse

esse altiores aliis regionibus. Et quantumvis fluxum Oceani a septentrione versus alias mundi plagas ex illâ causa esse voluerint, tamen adhuc dubium, an terræ septentrionales imprimis alvei septentrionales sint altiores vel minus depresso quam alvei terrarum æqvatori vicinorum; interim hoc posito non concesso, probatur eo ipso Oceanum magis fugere ejusmodi altitudinis excessum, dum a septentrione fluit versus æqvatorem. Ex hisce itaqve videmus exiguae esse diversitates in altitudine aquarum, & præcipue in eo consistere, ut is sinus humilior sit Oceano, qui in partibus præsertim extremis præter ingressum angustum, nimium est oblongus: is autem qui ampliori tractu infunditur, elevatior magisqve altitudini Oceani æqualis sit. Interim observari nullo modo potest illa inæqualitas, in proportione ad universam terræquam. Multas esse causas externas novimus, quæ altitudinem Oceani variant, quas recensere nolumus, quia constitutionem aquæ tantummodo naturalem considerantes, sufficit nobis scire, quæ superius allata sunt. Ostendemus insuper a posteriori, nostram hypothesin retinentes, Oceani neque medium neque partes esse se invicem sive terra altiores, sed cum hæc unam junctim superficiem sphæricam facere. Novimus aquam suapte natura semper ad decliviorum locum confluere, si itaqve circa littora esset locus magis depresso quam in medio Oceani, inde statim irrueret in proximam terram, illamque inundaret. Verum e contrario videntur littora habere majorem altitudinem Oceano, alias non impedire possent inundationes, quando aqua aucta eadem fluctibus verberat. Et Nautis utique non esset illa diversitas incognita, qui in pelago versantes, mathematica instrumenta adhibent in

in explorando maris medio, idque a vicinis littorum partibus nihil differre sentiunt. Quotidie etiam experimur aquam in certo aliquo loco non cumulari sed ad omnino modum æqualitatem versus omnes partes diffundi animadvertisimus, nisi a vi aliqua externa impediatur; quomodo ergo in medio Oceani talis super reliquias partes erit eminentia, quam in immensum diffluere possit tractum, non videmus. Tandem argumenti loco hic adducimus contra maiorem Oceani a littoribus longe remoti altitudinem easdem rationes, quas superius adhibuimus de turri in demonstratione rotunditatis terrae. Pars enim ejus inferior post superiorem detegitur, quando a mediterraneis locis ad littus accedimus, sensim vero pars inferior abeuntibus occultatur; quod ipsum quidem sphærica superficies omnino efficit. Non tamen pars Oceani a littore remota propter id est altior quam ea, quæ vicina est illi, verum potius ubique ejusdem altitudinis tam in medio quam ad littora, neque altior ipsa terra. De his & aliis nemo certus esse potest, qui sensuum fallaciam sequitur, neque unquam nos saepius decipi animadvertisimus, quam per visum; qui hic præcipua erroris est causa, dum existimamus Oceanum in medio esse altiorem, quamvis e littore conspectus nobis altior videatur: sed hoc falso esse ex area in longitudinem porrecta probatur. Quo enim aliquid remotius conspicimus, eo etiam magis oculi elevantur, quod deinde altius esse judicamus eo quod propinquius est. Haec manifesta fiunt, si opticorum more ista demonstremus, dividendo aliquem angulum in partes quotunque æquales, quorum mensura est arcus descriptus ex puncto anguli maximi, per quem ducta latera minorum angulorum,

su-

perficiem eandem in partes divident inæquales. Ita arcus BI. ex centro A descriptus continet tres partes æquales



BF. FG. & GH. quæ angulum DAC. toties dividunt. Et quamvis anguli illi superficiem BC. inæqualiter dividant, tamen oculus in A conspiciens, judicat lineas remotiores BD. DE. EC. esse æquales partibus BF. FG. GH. quia sub æqualibus angulis DAE. EAC. videntur. Atque sic oculus inferiores partes BD. DE. EC. judicat eodem modo esse elevatas ac BF. FG. & GH. quamvis illæ non solum depresso, sed & his & sibi invicem inæquales sint.

§. V.

Unde natura corporis cognoscatur non est operosum inquirere, qvum ista quæstio diu multumque inter eruditos sit agitata; nec hanc controversiam ab ullo componi posse existimamus, qui non matheseos fundamenta probe jecerat, quippe quæ scientia est quantitatem considerans. Physicos hinc non excludimus, plu-

plurimos tamen eorum inveniri certum est, qui duritatem lapidi magis esse dicunt essentialē quantitatē, quod a Mathematicis vix affirmatur, qui quantitatē & extensionem omnibus in mundo corporib[us] intime essentialē esse, eamque ab ipsa re sive corpore non nisi diverso cogitandi modo differre firmissimis probant rationibus. Quantitas accurate dispelcitur in longitudinem latitudinem & profunditatem; de postremo attributo agere jam animus nobis est, qvod Oceano competere quivis videt, nisi molem istam immensam corpus esse, absque ratione negaverit. Altitudinem & profunditatem a multis uno eodemque sensu accipi novimus, quod in universal corporis consideratione verissimum; hic autem non nihil differt, sed diverso respectu: nam medium Oceani posset dici altius respectu partium vicinarum, si talis esset aquæ natura, ut una ejus pars magis versus ætheream regionem elevaretur altera, neque servaret rotundam sive æqualem superficiem; ex eo tamen non sequitur esse magis profundum, qvum profunditas alibi possit esse duplo major, quod evidenter colligere licet ex inæqualitate fundi maris, quæ omnium consensu terræ inæqualitate non est minor, ut mox patebit. Hinc mirum non est, si maris profunditatem altitudini montium respondere quidam affirmaverint. Et in nonnullis locis profunditatem maris æqualem esse altitudini montium certum quidem est, in omnibus tamen convenire non videtur verisimile. Nam cum montium altitudine Oceani profunditas nihil negotii habet, qvum hæc tanta sit, ut in plurimis locis ad multa milliaria se extendere dicatur adeo, ut nullum inveniatur medium ejus fundum experiundi. Nautæ satis anxie hoc quæsiverunt qui bolide ex-

plorarunt aliquibus in locis profunditatem Oceani pro al-
 veorum majori vel minori depressione esse $\frac{1}{20}$ $\frac{1}{10}$, $\frac{1}{5}$, $\frac{1}{2}$ mil-
 liaris, imo nonnullis in locis integri circiter milliaris ger-
 manici. Interim fateri necessum habent funes non sem-
 per ad altiores profunditates Oceani explorandas suffi-
 cere, nedum chordam dari, qua profunditas maris ad
 30 milliara, ut quibusdam placet, emetiri possit. Ubi enim
 esset illa navis qui eum veheret funem? aut uno hæreret
 loco immota, donec mensuratio absolveretur. Etsi vero
 irremensa adeo fuerit profunditas maris, nunquam tamen
 immediate centrum terræ attingit. Illud vero centrum
 quæ sit, nondum certo, sed probabiliter solum ostendunt
 Physici. Quibusdam habetur non imaginarium aliquod
 punctum geometricum, sed cavitas in meditullio terræ
 ingentis capacitatis, aqua referta, quæ per fundum ma-
 ris illuc continuo stilletur, qvum uno impetu irrumpere
 nequeat, propter interiorē fundi naturam, circa conve-
 xitatem centri ex tenaciori luto constantem, per quod
 sensim aqua penetrare possit, non vero libero alveo pro-
 fluere. Hinc quam horribilis intimus hic terræ locus
 sit, non difficulter judicari putant: quo propterea inferni
 sedem Pontificios Theologos reposuisse haut mirere.
 Præsertim cum iisdem centrum terræ, materiæ igneæ
 vel a sole non multum diversæ esse putatur. Verum nul-
 libi terrarum homo tam audax & tantus artifex ad-
 huc repertus est, qui adeo occultos naturæ recessus pe-
 netrare valuerit; itaque fas est cuique hac de re sentire
 quod veritati est simillimum. Et majorem sane fructum
 multi reportarent ex certa fundi maris cognitione, qvam
 ex vanissimis hujusmodi conjecturis, de quo apud Phy-
 sicos etiamque Geographos altum invenimus silentium.

Quando autem ab illo sufficierter explorando, ob multas
 difficultates absterriti sunt homines, qvomodo in scrupu-
 losa centri terrestris inquisitione felices esse volunt. Qvum
 itaq; maris profunditas melius cognosci non possit, qvam
 ex fundi ejusdem constitutione, pauca hic recitabimus,
 qvæ de urinatoribus & navigatoribus in historiis relata in-
 veniuntur. Qvatvis proprium sit piscibus natare & in
 aqvis vivere, tamen natandi promptitudinem etiam ho-
 mines sibi comparasse usū atq; exercitio legitimus. In-
 ter eos Romani olim excelluerunt; & ab iis forsitan alii
 populi, degentes in regionibus vicinis, natandi modum
 acceperunt. Non loqvor jam de puerorum in aqvis ri-
 dicula circumvolutione, qvæ omnibus gentibus est æqua-
 lis, sed de ea natandi peritia, qvæ cum arte & mirabili
 in aqvis vivendi ratione conjuncta est. Hac de re in-
 credibilia narrat Kircherus & refert historiam de uri-
 natore qvodam Siculo tempore Regis Friderici; qui a
 puero huic exercitio fuerat deditus, tamq; in perfici-
 endo & consummando se præbuerat assiduum, ut, non so-
 lum hac arte vitam sustentaret, sed & integra maria sub
 aqvis & insulas præter- & transiverit, non aliter ac tabel-
 larius quidam sive nuncius ab uno loco ad alterum celeri-
 ter festinans. Qvamobrem a Rege Siciliæ vocatus, au-
 reo vase in pericolosis charybdis faucibus immisso, alli-
 ciebatur illuc descendere, de ejus possessione certus, si il-
 lud inde auferret; itaque cum admiratione adstantium
 statim in imos gurgites se præcipitavit, & post tres qva-
 drantes horæ ē profunda voragine celeriter iterum e-
 mersit, pateram projectam manu, triumphantis in mo-
 rem, jactitans; Regique miram ibi gurgitum diversitatem,

sco-

scopulorum frequentissimam multitudinem & immensam
 profunditatem narravit: inter quorum latera animalia hor-
 ribili mole natantia descripsit. Spe pecuniarum altera vi-
 ce eum in locum iterum se præcipitem dedit, sed nemini
 postea viuis, forte in ima pelagi voragine sepulturam in-
 venit. Præter tales natandi exercitatismos, legimus
 quoque nonnullos artificios exstruxisse machinas urina-
 torias, quarum beneficio, aliquot horis sub aqua com-
 morari poterant; quibus diversam maris profunditatem
 non solum, sed & calorem, frigus, temperiem & motum
 ab ejus superficie ad fundum usque exacte observarunt.
 Præcipue circa Africæ & Indiæ littora optimi & expe-
 rientissimi versantur urinatores. Hi machinis ad maris
 fundum quantumvis immennum se demittentes, a su-
 perficie per illud spatium calorem se sentire dicunt, quo-
 usque radii solis, sive aliæ caloris causæ operationibus
 suis penetrare possunt; infra illud vero frigus sensim au-
 geri ad ipsum profunditatis terminum; quod ubique non
 procedit, quia interdum calorem in imo fundo sentiunt
 haut levem, variatque frigus & calor pro diversitate lo-
 corum fundi maris. Qui autem procellis tantam vim
 tribuunt, ut fluctuum vehementia arenæ & lapides e fun-
 do maris dimoveantur & eleventur, illi profunditatem
 maris ad littora propinqviorem considerant, nam urina-
 tores in summis etiam tempestatibus & procellis fun-
 dum maris tranquillum experti sunt, in partibus Oceani
 a terra remotioribus. Ex iis quæ nunc dicta sunt, Oce-
 ani profunditatem magnam esse patet, imo tantam, ut
 in plerisque locis sit immensurabilis. Et quamvis maris
 superficies sit convexa, & a ventis non agitatata, plana
 appareat terraque habeatur concentrica, tamen ejus fun-

dum regulariter concavum non esse jam probavimus eorum testimoniois, qui hujus rei veritatem, partim jactura bolidis, urinatoria partim arte cognoverunt. Qvod ipsum & figura ex Kirchero desumpta clarius exhibebit E. Gr.



Videmus hic montem A cujus inferior pars tegitur aqua E G. extende se ad H I. ex quo radices decurrentes infra aquam ad B scopulis majoribus & minoribus ad C elevatis fundum maris reddunt inaequalem, donec longo tractu decurrentes iterum supra aquae superficiem semet elevent remoto in loco in E. Hinc manifestum est, certum profunditatis terminum Oceano adscribi non posse. Neque deont illi, qui valles, prata & sylvas in fundo maris inveniri existimant, montes quoque variae altitudinis, & hoc modo superficie terrae non esse multum absimilem. Maris etiam profunditatem alicubi esse majorem circa littora, a quotidiana experientia & Geographis eruditur, dum montibus cinguntur, non vero dum arena vel argilla protuberant.


§. VI.

Non mirum est, si multis visum fuerit statuere Oceanum sive maria scaturire ex fontibus suis, qvum supra demonstratum sit, & omnes fere Geographi contentiant, inæqualitatem fundi maris esse maximam, nec dubitamus qvin protundis cavitatibus quoqz sit refertum, qvæ fontium speciem præbtere possunt. Interim qvamvis cavitates ejusmodi inventæ sint aliquibus in locis submarinis, ex qvibus hausta ab urinatoribus aqua dulcis fontium certitudinem probet in maris fundo existentium; admodum tamen raros illos fuisse legimus, qvi ideo non sufficiunt ad tantum Oceanii æqvorum constituendum. Qvum itaque nobis nunc incumbat probare, ejusmodi fontes minime inveniri, qvi ex se tantam aquarum copiam ebulliant, ut Oceanum constituant, ideo in illam rem verbum 7. cap. I. Eccl. respicere juvat, ubi influxus fluminum sive fluviorum in mare & ex eo egressus hisce verbis asseritur: **כָל חַנְלִים הַלְכִים אֶל חֹם וּמְסֻאֵן מִלְאָה** **אֶל־מִקְוָה שְׁחַנְלִים הַלְכִים שְׁבַת לְלָכָת**. Anteqvam illa, qvæ in hoc verbu dicuntur, ponderaria nobis poslunt, animadvertiscus inquisitionis scopus, qvi non est demonstrare nullos in fundo maris fontes inveniri; sed Oceanum contineri intra suos alveos, fluminibusque hinc inde stipari & augeri ita, ut omnes ex eo fluant & in illum iterum revertantur; cui sententiæ Geographi & Physici fere omnes consentiunt. Qvi marium aquam ex fontibus oriri dicunt, motum maris vehementem hujus rei causam ponunt, in quo describendo Geographi satis sunt prolixæ, non tamen affirmant huncce motum aliqua ratione perficere ejusmodi fontes, ex qvibus alyei Oceanii
auge-

augeantur & impléantur. In iis enim, qvia a terræ centro non magis distarent quam Oceanus, nullus fieret fluxus, sed aqua quietceret, Oceano illis incumbente. Cujus aqua qvia salla est, magis etiam ob fixitatem valeret ad deprimendum dulcem fontium aquam; & attendamus ad fluviorum originem, qvorum viam versus mare patere dicit Ecclesiastes. Inque mappis geographicis hoc optimè conspicitur, ubi majora & minora flumina a locis mediterraneis in Oceanum se exonerare tanta copia animadvertisimus, ut perenni fluxu totum tandem tellurem aquæ inundarent, nisi cursu peracto per subterraneos meatus ad priora receptacula redirent. Ex eo, qvod decidentibus e cœlo pluviis & magna nivium copia liquefacta, fluviorum aquam in immensum augeri animadvertisimus, judicant multi eorum fluxum inde habere suam continuationem, & pluvias nivesqve sufficere ad fluminis cujusqve productionem. Non equidem diffitemur alveos fluviorum ex crebris pluviis & nivibus magis impleri, & cursus illorum reddi vehementiores, sed nemo non videt eos fontibus suam debere originem; qvibus numero concurrentibus, aqua abundè sufficit continuo unius fluminis fluxui, cujus unda prope mare plerumq; per plura effluere solet ostia. Hinc manifestum est, qvoniam mare tot fluviorum concursu non impletur, aquam occulto itinere terras subire, multiplicesqve terrarum anfractus, per arenas & argillas penetrando falsedinem deponere donec ad tentes iterum revertatur, pristinum dulcedinis saporem obtinens. Aquam itaque Oceani provenire ex suis fontibus in alveo inventis, falsum erit, si in apposita figura attendamus ad naturam & proprietates aquæ, qvam a locis depresso ad altiora nunquam moveri certum est.

est ex supra dictis. Sit vas aliquod ABCD. aqua impletum, ejus superficiem æqualiter & sphærice determinat AD. in cuius medio supponamus trabē EFGH. perforatam detineri immobilem; qvæ postqvam ab aqua tam in orificio I quam K. influente est impleta, qvomodo eam deinde expuerit, qvum ex orificio I. altiori contra proprium suum motum egredi non poterit. In inferiori vero

occluderetur ab aqua perpendiculariter ex D. tendente ad vasis fundum & ab omnibus partibus æqualiter premente; nisi ita foret, ut aqua consistens ad orificium trabis I non sit continua cum reliqua in vase isto contenta aqua, & hoc modo separata laberetur per trabem ad depresso ejus orificium K. Sed fluxus ille tandem cessaret, si locus in I. perpetuo esset altior K. ad quem ex inferiori propter altitudinem nullus daretur regressus.



§. VII.

Omnes qui voluerit Oceani affectiones describere; ejus in immensum cresceret scriptionis opus, qvæ & est causa, cur etiam nos plurimas hic omisimus: tanta quippe varietas earum est, ut a Geographis vel Physicis etiam accuratioribus, supra dimidiam partem vix sit anno,

32

notata. In illorum enim scriptis invenimus hos obser-
vasse plures proprietates, pauciores alios, & circa solam
motus considerationem habuisse, in quo defudentur.
Quum autem præcipua nos hic annotasse existimemus,
quæ ad materiæ præsentis illustrationem facere videntur,
claudimus rivos, atque opellam hancce tibi Benevole Le-
ctor ita commendamus, ut, a veritatis tramite si desle-
ctere videamur, illud nobis non magis impunes quam
iis, qui geographiæ studium profitentes, a multis in hoc
cognitionis genere, non admodum tuto versari judican-
tur. Et quamvis veritatem serio inquisiverimus, tamen
adieqvatos nos eam ubique haut dicemus, si non tuam
B. L. interpretationem cum favore conjunctam scripto no-
stro simplici addere digneris. Ad ultimum scias nos cum
opella hacce ita corrigi velle, ut æquo Censoris
judicio libenter cogitata nostra
subjiciamus.

Επί τη θερινή ημέρα της Αγίας Τριάδος
Αμήν.



Mr. H. B. Dayes